

gnaculum, et Turrin David, ex qua mille clypei pendent, et omnis armatura fortium, ut Hierusalem nostra adversus oppugnationes hostium defensa sit. Vocarunt alii contra hujus seculi haereses primarium antidotum, murumque et antemurale Domus Dei. Nec ipsi hostes ausi sunt diffiteri, ex quibus Theodorus Beza: « Unus hic liber, aiebat, nos omnes humi proturbat. » Igitur in Angliae Academia Cantabrigiensis primum, mox etiam in Oxoniensi nova pralectio instituta est, ad Controversias Bellarmini, si possent, refellendas. Hujus autem operis generalis divisio haec est.

Tomus I. in septem generales controversias divisus:

De verbo Dei scripto, et non scripto. Lib. IV.

De Christo capite totius Ecclesiae. Lib. V.

De Summo Pontifice capite militantis Ecclesiae. Lib. V.

De Ecclesia tum in Conciliis congregata, tum sparsa toto Orbe terrarum. Lib. IV.

De membris Ecclesiae militantis, Clericis, Monachis, et Laicis. Lib. III.

De Ecclesia, quae est in Purgatorio. Lib. II.

De Ecclesia, quae triumphat in Caelis. Lib. III. (1)

Est autem hic Tomus in editione Coloniensi a Gymico, et Hierato facta anno 1615, ex recensione Auctoris, divisus in duos Tomos, ita ut prior contineat tres primas controversias, posterior reliquas quatuor cum additamento VII Opusculorum, quae sunt ista:

Appendix ad libros de Summo Pontifice.

De Translatione Romani Imperii. Lib. III.

Appendix ad Disputationem, de Cultu imaginum.

De indulgentiis. Lib. II.

Judicium de Concordia Lutheranorum.

Apologia brevis pro eodem libello.

Recognitio Auctoris omnium suorum Librorum.

Tomus II. seu juxta aliam editionem III, in IV. Controversias generales:

De Sacramentis in genere. Lib. II.

De Baptismo, et Confirmatione. Lib. I.

De Eucharistia, et Sacrificio Missae. Lib. VI.

De Penitentia. Lib. IV.

De Extrema Unctione, Ordine, et Matrimonio. Lib. III.

Tomus III. vel ex alia editione IV. in tres Controversias generales:

De gratia primi hominis, et statu Innocentiae. Lib. I.

De Gratiae amissione. Lib. VI.

De Gratiae reparatione, et statu Justificatorum per Christum. Lib. IV.

Controversiarum autem Epitomen ediderunt Antwerpiae Balduinus Junius Ordinis Minorum, et Fr. Joannes Baptista des Bois, Gallus Ordinis Minorum, Parisiis apud Calderium 1602. et novissime Andreas Coppastain Ordinis Praedicatorum. Eas autem Gallicè reddidit, jussu Cardinalis Perronii Chastillonius ejusdem Cardinalis Secretarius. Scripsit etiam Bellarminus alia, quae Coloniae prodierunt typis Bernardi Gualteri 1617, tomis III. comprehensa post alias editiones, quibus ea seorsim vulgata sunt, ea sunt Tomo IV, seu malis V.

Explanatio in Psalmos. Tom. V. seu VI.

Conciones Sacrae. Tomo VI. seu VII.

Opuscula XVIII varii argumenti. Nimirum praeter sex priora, quae supra Tom. I. et II. recensui:

De Scripseribus Ecclesiasticis. Lib. I. cum brevi Chronologia ab orbe condito usque ad annum Domini 1612, et postea usque ad annum 1622, Coloniae 1622, in 8.

Responsio ad librum inscriptum: Triplici nodo triplex cuneus, « adversus Jacobum Regem Angliae. » Prodit primo sub nomine Matthaei Torti (et non Tosti, ut in Bibliotheca legitur) Presbyteri, et Theologi Papiensis.

Apologia pro eadem responsione in qua ejusdem Regis Praefatio monitoria refutatur.

De Potestate Summi Pontificis in Temporalibus contra Gulielmum Barclaium. Lib. I.

(1) In praesenti editione, controversiae eodem ordine, sed non eadem tomorum distributione ponuntur.

Responsio ad duos libros in favorem Reip. Venetæ conscriptos adversus interdictum Pauli V, Pont. Max.

Responsio ad Tractatum septem Theologorum pro causa ejusdem Reipub.

Responsio ad oppositiones F. Pauli Serevitæ, necnon Joannis Marsilii Neapolitani.

Explicatio Symboli Apostolici, etc.

Christianæ Doctrinæ pro iis qui erudiunt alios copiosior explicatio. Hæc duo Italice conscripta fuerunt (1).

De Ascensione mentis in Deum. Lib. I.

De Æterna Felicitate Sanctorum. Lib. V.

De gemitu Columbæ sive de bono lacrymarum. Lib. III. (2).

Accessit huic postremo Tomo supplementum typis ejusdem Gualteri anno 1619. in quo sunt:

De septem Verbis Domini in Cruce prolatis. Lib. II.

De Officio Principis Christiani. Lib. III.

Admonitio ad Nepotem Episcop. Theanensem de Officio Episcopi

Institutiones linguae Hebraicæ.

De Arte bene moriendi. Lib. II.

Denique ut nullum tanti Doctoris, quamvis exiguum fragmentum omittam ejus est:

Hymnus de Spiritu Sancto, hoc initio: *Spiritus celsi dominator azis,* qui tacito ejus nomine extat inter selecta carmina Virorum Illustrium, Item:

Hymnus de S. Maria Magdalena brevissimus, qui a Clem. VIII. Pont. Max. positus est in Breviario Romano, et incipit *Pater superni luminis.*

Liturgia Apostolica.

In Hæreticum carptorem fulminis Sixti V.

Correctorium Errorum, qui Typographorum negligentia in Libros Roberti Bellarmini S. R. E. Card. Editionis Venetæ irrepserunt. Prodiit demum ex ipsius Bibliotheca depromptæ:

Novæ declarationes S. R. E. Cardinalium ad Decreta Sac. Concilii Tridentini, Lugduni per Laurentium Durand 1634.

Concio quam de B. Aloysio Gonzaga ad socios habuit Italice anno 1608, relata ad calcem ejusdem B. Vitæ a Virgilio Cepario recensæ anno 1629. Prodiit demum ejus:

Oratio de Passione Domini habita ad Gregorium XIII, anno 1577, cum aliis ejusdem argumenti, *Recognitio librorum omnium* Cardin. Bellarmini ab ipso Auctore edita, in folio.

Epistolæ varias Bellarmini, collegit in unum volumen, et typis vulgavit noster Jacobus Fuligatus. Romæ apud Manelphum anno 1650, in 12.

Decora Roberti Cardinalis Bellarmini, collegit, et edidit Sebastianus Badus, Genus typis Antonii Georgii Franchelli 1671, in 4 (3).

(1) Advertendum hic non solum hæc duo opuscula, sed etiam tres prædictas Responsiones ad libros, seu tractatus pro causa Reipublicæ Venetæ a Cardinali Bellarmino conscriptas esse, atque impressas Romæ, et Mediolani lingua Italica; namque eadem editi erant libri, quos oppugnabat, et patet ex præfatione responsionis ad tractatum septem Theologorum, in cujus initio Cardinalis testatur se quibusdam libellis vulgaribus vulgariter, id est Italice Italice, non Latine, ob rationes ibi positas, coactum esse respondere.

(2) His mysticis opusculis jungendum est opusculum: *De cognitione Dei:* opus hucusque ineditum, qui venit apud Lethielleux, via vulgo dicta Cassette, 23, Parisiis.

(3) Si RR. PP. Perrone et V. de Buck fides, plurima supersunt, in Collegio Romano, Bellarmini inedita manuscripta. Quæ, ut nunc edantur, omni ope et opere satagemus.

RECOGNITIO LIBRORUM OMNIUM
ROBERTI BELLARMINI

S. R. E. CARDINALIS,

AB IPSO AUCTORE EDITA

PRÆFATIO AD LECTOREM

Scripti, Deo teste, quod verum esse existimavi, non gratiam hominum, vel propriam utilitatem, sed honorem Dei, et Ecclesiæ commodum respiciens. Neque in scriptis meis aliquid a Divinis Litteris, aut Sanctorum Patrum regulis alienum sciens posui. Quia tamen scriptum est: *In multiloquio non deerit peccatum*, quod etiam de multa scriptione dici posse non dubito: Ego ipse jam senex, et morti proximus, S. Augustinum imitatus, libros meos recognoscere et dijudicare volui. Quod opus, Deo adjuvante, aggressus, nundem cum, eodem adjuvante, perfeci, et aliqua obscure dicta explicavi, quædam etiam nimis breviter indicata; non paucis additis locupletavi, paucis denique, quæ minus placebant correctis, extremam manum omnibus libris a me conscriptis imposui. Precor autem Typographos omnes, si qui forte libros meos iterum excudere velint, ut textum librorum non mutant, sed hanc recognitionem, vel ad initium, vel ad finem operis addere non graventur.

RECOGNITIO LIBRORUM

De verbo Dei.

Principium operum meorum sunt libri de Verbo Dei, in quibus ea quæ sequuntur annotanda esse censeo.

Lib. I, cap. 3. in ipso titulo ponitur D. Pauli pro B. Pauli. Ego enim nunquam probavi vocem, Divus, nec Diva, cum de Sanctis agitur, tum quod eam vocem apud veteres latinos Patres non inveniam, tum quod apud

Ethnicos Divi nomen, Diis tantum tribui soleat. Itaque ubicumque in libris meis lector inveniet, Divum, sciat vel mihi imprudenter excidisse, vel, quod sæpius accidit, me scripsisse Beatum. Sed Typographi ubi legerunt B. quod Beatum significat, illud in D. mutant, et sic ex Beato Divum effecerunt.

Lib. II, cap. 12. in ultimis verbis respondetur ad contradictionem, quæ videtur esse inter Micheam Prophetam, et Matthæum Evangelistam, quod verba Micheæ: *Et tu Bethlehem parvula es* (1), debent legi cum interrogatione, et hoc modo non sint contraria verbis Matthæi: *Et tu Bethlehem non*

(1) Mich. V. 2.

minima es (1). Sed hæc responsio, ut brevis, et expedita est, si probari possit: ita non est solida et firma, si probari non possit. Et quidem non satis video, unde probari possit. Nam neque in codice Hebraico, neque in Chaldaeo, neque in interpretatione LXX Interpretum, neque in versione S. Hieronymi, ullum invenitur signum interrogationis apud Micheam. Quod autem alii dicunt a S. Matthæo fideliter relata fuisse verba sacerdotum, et scribarum; sed ab illis non fideliter fuisse relata verba Micheæ, incredibile mihi esse videtur. Nam neque verisimile est, sacerdotes et scribas, quos Herodes convocaverat, non intellexisse verba satis aperta Micheæ; neque ulla causa est, cur voluerint Prophetæ verba studiosè corrumpere. Existimo igitur S. Evangelistam non verba Micheæ referre, sed sententiam adducere, atque exponere voluisse. Quamvis autem Micheas dixerit, Bethlehem parvulam fuisse in millibus Juda, id est, tam exiguam quoad numerum domorum, ut vix digna esset, quæ in millibus oppidorum Tribus Juda numeraretur: tamen ipse idem satis indicavit, eandem Bethlehem privilegio nativitatis Christi fuisse maximam, et dignam numerari inter principales Urbes Juda, cum addidit: *Ex te mihi egredietur qui regat populum meum Israel*. Ad hoc igitur privilegium respexit Sanctus Matthæus, et non ad numerum domorum, vel frequentiam incolarum, et ideo ait: *Non minima es in principibus Juda*: et adjungit particulam *enim*, dicens: *Ex te enim mihi exiet Dux, qui regat populum meum Israel*, ut reddat rationem cur dixerit non esse minimam. Itaque non negavit Matthæus, quod Micheas expresse posuerat, sed expressit quod ille obscure significaverat. Nulla igitur discordia est inter Prophetam, et Evangelistam, cum ille minimam dixerit Bethlehem propter exiguum numerum domorum, iste non minimam dixerit propter maximam gloriam Nativitatis Christi.

Lib. II, cap. 16, prope finem obijcitur exemplum quorundam populorum, qui linguis suis vulgaribus sacra celebrant; et respondetur eorum exemplum non esse magnificandum cum sint Hæretici, vel Schismatici. Non omnino approbo hanc solutionem. Nam sunt etiam inter Ruthenos, et Armenos Catholici, ut etiam inter Syros sunt Maro-

nitæ Catholici, qui tamen Divina officia non celebrant græce, vel hebraice, vel latine. Dicendum igitur est, in his regionibus desuisse plane usum harum trium linguarum, ut nulli, aut pene nulli sint, qui eas intelligant. Proinde necessitas ipsa cogit, ut Divina officia, aliqua alia lingua apud eos celebrentur, qualem necessitatem Germani, et Galli non patiuntur. Addendum est præterea apud eas nationes non esse omnino vulgarem linguam, qua Divina officia celebrantur; sed esse linguam aliam, quæ non magis intelligitur a plebe ipsarum nationum, quam intelligitur ab Italica plebe lingua latina. Certe quidem Maronitæ vulgo loquuntur Arabicè juxta morem totius Orientis, et tamen in sacris utuntur lingua Chaldaica. Quod idem de aliis nationibus dici potest. Nam ipsa lingua Arabica, et etiam Græca, et Syriaca, alia est Popularis, alia Erudita: et quemadmodum Græci vulgo utuntur lingua Græca populari, in sacris vero lingua Græca erudita, qua libri scripti sunt: sic etiam ipsi utuntur in sacris lingua Arabica, vel Syriaca, non vulgari, sed erudita utuntur.

Lib. III, cap. 3, §. *De ipso autem sensu litterarum*. Ubi dicitur in illo Matth. XXVI. *Bibite ex hoc omnes*: illud *omnes* (2), est ambiguum: nescitur enim an omnes homines absolute significet, an omnes fideles tantum, an omnes Apostolos. Ista verba non sic accipienda sunt, quasi dicere voluerim absolute, dubium esse sensum hujus loci Evangelici, sed esse dubium, si sola ista verba Evangelii inspiciantur, alioqui enim jam supra diximus sensum esse clarissimum ex verbis Marci qui addidit: *Et biberunt ex eo omnes* (3), Apostoli videlicet. Proinde perperam colligunt Hæretici ex illis verbis: *Bibite ex hoc omnes*, teneri omnes fideles ad communicandam Eucharistiam sub utraque specie.

Eodem lib. cap. 5, §. *Octavum testimonium*. Ubi dicitur: « Porro Ecclesia non aliter loquitur, quam per os Pastorum, ac Doctorum, ac præcipue in generali Concilio congregatorum. » Hæc intelligo de Concilio, quod vel summum Pontificem habuerit presentem, et presidentem, vel ab eo confirmationem, atque approbationem meruerit obtinere.

Eodem libro cap. 8, §. *Gregorius Nazianzenus*, citatur oratio Gregorii Nazianzeni ad civis timore percultos, et Imperatorem iras-

centem. Sed animadverti ex eadem oratione diligentius prælecta, non ad Imperatorem, sed ad Præsidentem esse habitam. Fefellerat me nomen Principis a Billio Interprete in inscriptione positum. Siquidem Principis nomine Imperator eo tempore intelligi solebat. Quamvis autem erratum sit in nomine, non est erratum in re. Nam ex sententia S. Gregorii aperte colligitur Principes terrenos, sive minores, sive majores, sive etiam summos, quia oviculæ Christi sunt, subjectos esse Pastoribus a Christo ovili suo præpositis, atque ab his doctrinæ pabula percipere, non iis tradere debere.

Libro IV, cap. 3, §. *Octavum est*, quod dixi, sanctum Sylvestrum auctorem fuisse consecrationis altarium: debet intelligi de altari lapideo, et plena, atque solemnè consecratione. Nam ante Sylvestri tempora, S. Dionysius Areopagita (1) scripsit altaria oleo inungi debere, cum ab Episcopo consecrantur.

Eodem lib. IV, cap. 4, §. *Quod autem Scripturæ*. Ubi sic legitur: « Non potest dici, quod singuli libri sint sufficientes; nam tunc falsum esset quod dicit Kemnitiuss, » id tantum significare volui, non posse Kemnitiuss dicere, singulos libros sufficientes esse, quia tunc falsum esset quod ipse alibi dicit, sibi quæ ipse nimis aperte contradiceret.

Eodem capite, §. *Præterea Esdras*. Non probo, quod dixi, certum esse, periisse Epistolam Pauli ad Laodicenses. Nam probabile quidem est Apostolum in Epistola ad Coloss. extrema, loqui de Epistola sua scripta ad Laodicenses, ut Anselmus, et alii alii in Commentario ejus loci docent, tamen non est omnino certum, quia S. Chrysostomus in commentario ejus loci scribit, aliquos existimasse Apostolum loqui de Epistola scripta a Laodicensibus ad ipsum, non de Epistola scripta ad Laodicenses ab ipso, et ponderat verba græca, ubi legitur, *et eam quæ est ex Laodicea*, non autem, *et ea quæ est ad Laodicenses*. Verba latina sunt ambigua; quod enim nos legimus: *et ea quæ Laodicensium est*, potest significare Epistolam scriptam ad Laodicenses, et Epistolam scriptam a Laodicensibus. Certum est Epistolam unam scriptam ad Corinthios periisse, ut Anselmus, Cajetanus, et alii colligunt ex illis verbis: « *Scriptis vobis in Epistola*, » etc. (2).

RECOGNITIO LIBRORUM.

De Christo.

Libro I, cap. 3, in fine, consulendus est, S. Anselmus in libro de Incarnatione, qui ex professo disputat adversus quemdam, qui docuerat, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum esse tres res separatas, ut tres Angelos, vel tres animas.

Lib. II, cap. 5, ultimo. Mirantur nonnulli cur Calvinum defenderim adversus ea, quæ illi Genebrardus objecerat. Ego vere non Calvinum defendere volui, qui se indignum reddidit, qui a Catholicis defenderetur, et quem in omnibus meis scriptis in primis oppugno. Sed lectores admonui, in ea controversia, quæ est inter duos hæreticos, Valentium Gentilem, et Joannem Calvinum, non esse ita Calvinum accusandum, ut Gentilis excusari videatur, cum in ea re Gentilis, isque solus erraverit, quod Genebrardus vir Catholicus et pius non advertit, cum libros Gentilis in fonte fortasse non legerit.

Eodem lib. cap. 8, §. *Cæterum Catechismi*, quod scripsi haberi in Symbolo Apostolico Christum esse unicum Dominum nostrum: verum quidem est, sed etiam est verum Christum esse unicum filium Dei. Recte enim annotavit Rufinus in expositione Symboli, vocem, *Unicum*, quæ legitur in secundo articulo Symboli: *Et in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum*, posse referri, tum ad filium, tum ad Dominum. Vere siquidem Jesus Christus est filius unicus Dei, naturalis videlicet, cum cæteri sint adoptivi: et vere est unicus Dominus noster: principalis, et summus, cum cæteri sint Domini minus principales; fateor tamen communiorum lectionem apud Ecclesiasticos eam esse, quæ vocem *Unicum* refert ad filium, quam lectionem, ego quoque secutus sum, tum in Catechismo, tum in Symboli explicatione Italica.

Lib. III, capite 2, §. ultimo, modum loquendi, quo dixi, naturam Divinam, et humanam in Verbo subsistere inveniri in auctoribus non malis: tamen quia subsistere ad personam, non ad naturam proprie pertinet: rectius cum S. Leone dixissem, naturam di-

(1) Matth. II, 6. — (2) Matth. XXVI, 27. — (3) Marc. XIV, 23.

(1) Ecclesiast. Hierarch. Cap. V. — (2) I. Cor. V, 9.

vinam et humanam in unam Verbi convenisse personam, vel cum S. Thoma (1), Verbi personam in natura divina, et humana subsistere. Sic etiam non probo modum loquendi, quo dixi, naturam divinam non esse natam, neque passam, sed solum humanam: nasci enim, et pati, et similia, quæ actionem, vel passionem significant, suppositorum sunt, non naturarum. Itaque magis proprie dixissem naturam divinam non esse natam, neque passam, sed Deum in natura humana natum ex Virgine, et passum in Cruce, quo modo S. Petrus loquitur, cum ait, Christo igitur in carne passo, etc. (2).

Lib. IV, cap. 16, §. *At probabile*. Re melius considerata sequendam esse existimo sententiam S. Thomæ quæ est et aliorum Scholasticorum in III Sent. dist. 22. præsertim cum testimonium Ecclesiastici, et sanctorum Patrum, qui videntur affirmare Christum descendisse ad loca omnia inferni, verificari possint, etiamsi dicamus Christi animam non descendisse ultra limbum sanctorum Patrum; nam ex eo loco potuit apparere omnibus spiritibus, qui in variis inferni locis debebant, et alios terrere, alios consolari, prout expedire ipsi videbatur. Si enim dives ille Epulor, ex loco damnatorum videre potuit Lazarum in sinu Abrahæ, id est, in limbo Patrum commorantem, et cum ipso Abraham sermones miscere: quanto facilius potuit Christus ex eodem Abrahæ sinu inspicere omnes partes inferni, et ab omnibus spiritibus, sive purgatorii, sive gehennæ conspici? Sic igitur penetravit omnes inferiores partes, usque ad sedem magnæ illius mentis, quæ dicitur Diabolus, non substantiam animæ suæ in omnibus partibus constituendo, sed ex limbo præsentem se, et conspiciendo omnibus partibus exhibendo.

RECOGNITIO LIBRORUM

De Summo Pontifice.

Lib. I, cap. 5. Dum hæc scripta recognoscere, anno videlicet 1606. forte accidit, ut quidam scriptor librum Italicum ederet, in quo, præter alia, probare conatus est, Episcopos S. Cypriani tempore a plebe judicari

consuevisse, cujus contrarium in hoc sexto capitulo nos docuimus. Adduxit autem locum S. Cypriani (3) ubi hæc habentur: «Quando ipsa plebs maxime habeat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.» Sed fallitur, nam in hoc loco non agitur de potestate judicandi Episcopos electos, sed de potestate admittendi, vel recusandi, cum eliguntur, quando nondum Episcopi sunt. Neque vult S. Cyprianus ad plebem spectare proprie electionem Episcoporum, sed tantum consentire in electionem præbendo testimonium de bona vita, et sanctis moribus eligendorum; vel dissentire præbendo testimonium de mala vita, et perditis moribus eorumdem. Hæc enim sunt verba ejus post verba superius recitata: «Quod, inquit, videmus de divina auctoritate descendere, ut Sacerdos plebe præsentem, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico iudicio, ac testimonio comprobetur:» et infra: «Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit, et ostendit ordinationes Sacerdotum tales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsentem, vel detegantur malorum crimina, vel honorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa, et legitima quæ omnium suffragio, et iudicio fuerit examinata.»

Eodem libro cap. VIII, §. 2. Video me nimis obscure esse locutum, cum dixi: «Si enim Ecclesia regitur ab optimatibus, ut habet secundus error: certe presbyteri non sunt optimates: vel si presbyteri sunt optimates, Ecclesia non regitur ab optimatibus,» etc. Sic igitur explicio quod eo loco scripsi. Calvinus duo docet, Ecclesiam regi a cœtu seniorum, quos optimates appellat; et Episcopos, et Presbyteros jure divino pares esse: harum duarum sententiarum alteram refello ex altera. Sic enim disputo: Si Ecclesia regitur a cœtu seniorum, id est, ab optimatibus; vel in cœtu seniorum includuntur soli Episcopi, qui sunt veri Ecclesiæ optimates, vel includuntur etiam presbyteri: si includuntur soli Episcopi, sequitur presbyteros non esse pares Episcopos, neque esse optimates: et tunc refellitur ille Calvinus error, quo Episcopos et presbyteros divino jure pares faciebat. Si includuntur etiam presbyteri, sequitur, Ecclesiam non regi a cœtu seniorum, sive ab optimatibus, qui erat

(1) Sum. Theol. III. pars, quæst. II, art. 4. — (2) I. Petr. IV, 1. — (3) Lib. I, epist. 4.

alter error ejusdem Calvinus. Constat enim in Conciliis generalibus, in quibus de administratione totius Ecclesiæ agitur, et ubi leges, quibus Ecclesiæ regitur, feruntur, vel abrogantur, nunquam interfuisse presbyteros, cum auctoritate definiendi, nisi essent legati et locum tenerent absentium aliquorum Episcoporum, id quod non opus est aliter probare, quam ex actis Conciliorum, quæ adhuc extant.

Lib. II, cap. 4, §. *In Concilio V*, act. 1. Quod hoc loco vocamus Concilium quintum, secuti veteres tomos Conciliorum, id non est vere Concilium quintum generale, sed est Concilium quoddam particulare, quod ipsam quintam Synodum generalem præcessit, de qua re vide quod scripsimus lib. I de Conciliis cap. 5, ubi diligentius Conciliorum historiam consideravimus.

Eodem lib. cap. 6, ubi explicatur quomodo sit intelligendum, quod scribit S. Ignatius Christum baptizatum fuisse cum explesset tres annorum decades, cum tamen communis sententia sit Christum baptizatum anno trigesimo inchoato, non expleto: posset facilius responderi, si diceretur, tres annorum decades rectissime dici posse expletas, quando perventum est ad annum trigesimum, etiamsi annus ille non sit finitus. Complementum enim trium decadum, hoc solum requirit, ut possit in numero poni annus trigesimus, sive completus, sive inchoatus. Quomodo loquitur S. Lucas cum dicit: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer* (1). Significat enim perventum esse numerando ad octavum diem, non autem expletum fuisse diem octavum. Sic etiam loquitur idem Lucas, dum ait: *Cum complerentur dies Pentecostes* (2); non enim significat completum fuisse diem quinquagesimum, sed inchoatum. Illo enim inchoato complebatur numerus quinquagenarius, quia dici poterat, hodie est dies quinquagesimus. Sic igitur completæ sunt tres annorum decades, quando dici potest, jam agitur annus trigesimus.

Eodem lib. cap. 13, §. 1. Ubi dicitur, *Ex quibus novem ita generalia fuerunt, ut in eis Græci, et Latini interfuerint*, vox illa, *novem*, omitti potuisset, nam in Concilio secundo generali, nulli fuerunt Latini: et Synodus Constantinopolitana, quæ in causa Anthimi celebrata est, non fuit proprie generalis.

Eodem lib. cap. 28, §. ultimo. Non sine causa dixi, sanctum Gregorium partim ex humilitate, partim ex necessitate se Imperatori Mauritio subjecisse. Siquidem Mauritius Imperator usque adeo tyrannice Romanam Ecclesiam premebat, ut ipse S. Gregorius, quamvis mississimus esset, eum cum Diocletiano, et Nerone comparaverit. Sic enim loquitur in explicatione Psal. CI, qui est unus ex penitentialibus: «Sunt, inquit, portæ inferi quædam potestates hujus mundi. Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur, namquid non omnes portæ inferi?» Et paulo ante de eodem Imperatore loquens: «Contra Catholicam veritatem suæ furore tyrannidis efferaur: in tantum autem suæ temeritatem extendit vananiam, ut caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, et in Domina gentium terrenæ justitiam usurpet.» Quare idem S. Gregorius scribens ad Phocam Mauritiæ successorem, et ad Leontiam Augustam, deplorat jugum durissimum, quod longo tempore sub Mauritio ferre coactus fuerat (3). Ex quo sequitur, ut obedientiam quam S. Gregorius Mauritio exhibebat, non debita fuerit, sed eoacta.

Eodem lib. cap. 19, §. *Secundo dicit potest*. Non probo, quod eo loco dixi cum Alberto Pighio S. Paulum appellasse ad Cæsarem, tanquam ad suum legitimum Principem. Nam si ratio exemptionis Ecclesiasticorum est, quia sunt ministri Christi, qui est Princeps Regum terræ, et Rex Regum, certe sunt exempti de jure, non solum a potestate principum Christianorum, sed etiam principum Ethnicorum. Permanendum igitur est in prima solutione, quod Apostolus Paulus fuerit subiectus Cæsari de facto, non de jure, et appellaverit ad ipsum, non tanquam ad superiorem suum, sed tanquam ad superiorem Præsidis Judææ, et Judæorum, a quibus injuriam patiebatur. Non enim potuit aliter liberare se ab injusto illo iudicio, et periculo injustissimæ mortis, nisi recurrendo ad ipsorum Principem, et Judicem, quod ipse idem significavit, cum ait: *Coactus sum appellare Cæsarem* (4).

Eodem lib. et cap. §. *Ab Othone*: Sciendum est, quod Otho non propria auctoritate Joannem Pontificem deposuit, sed auctoritate Concilii dependendum curavit. Quod

(1) Luc. II, 21. — (2) Act. Apost. II, 1. — (3) Lib. II, epist. 43. et 44. in dic. 6. — (4) Act. XXVIII, 19.

Concilium in multis erravit, nec tam Concilium, quam Conciliabulum fuit, et ideo paulo post abrogatum, vide Card. Baronium tomo X. Annalium ad annum Domini 963.

Eodem lib. et cap. §. *Respondeo illud Gregorii*. Admisi duos Canones ex Gratiano, dist. 63, videlicet, can. *Adrianus*, et can. *In Synodo*. Sed Card. Baronius in tomo IX *Annalium*, ad annum Domini 774, probat, hos Canones non videri legitimos, tum quod eos Gratianus non aliunde colligerit, nisi ex Chronico Sigeberti, qui Pontificibus fuit infensus, tum quod contrarium ex aliis auctoribus colligatur.

Eodem lib. cap. 31, §. *Secundum nomen*. Addi potest testimonium Tertulliani, qui in libro *De pudicitia*, in principio, Romanum Pontificem vocat Episcopum Episcoporum, qui titulus satis aperte docet Pontificis primatum semper in Ecclesia agniti fuisse.

Libro III, cap. 9, §. ultimo. Dixi de Antichristo: « Non apparebit, nec regnare incipiet, nisi tribus annis cum dimidio ante mundi finem. » Quod ideo dixi, quia quod intercedet inter mortem Antichristi, et finem mundi, tam erit modicum, ut pro nihilo reputari possit. Alioquin enim non eram oblitus, a nobis paulo ante demonstratum esse, inter mortem Antichristi et finem mundi intercessuros dies quadraginta quinque ex cap. XII, Danielis.

Eodem lib. cap. 21, §. *Denique si ad sanctos*. Ubi dicitur: « Omitto ceteros Patres, vereor enim ne si eos excutiamus, nullum inveniamus, qui non negaverit Jesum esse Christum. » Non loquimur absolute, sed ex hypothesi, videlicet si vera sit Illyrici doctrina, non enim id nos affirmamus, quod esset omnino blasphemum, sed ex doctrina Illyrici hoc absurdum sequi dicimus.

Libro IV, cap. 2, §. *Quarta sententia*. Ubi dicitur: « Hæc est communissima opinio fere omnium Catholicorum. » Rectius dictum fuisset: « Hæc est communissima sententia. » Opinio enim incertitudinem habet, eam vero sententiam certam esse credimus, atque ut talem in sequenti capite defendimus.

Eodem lib. et cap. §. ultim. Ubi dicimus sententiam illorum, qui docent infallibilitatem iudicii non esse penes Papam, sed penes Concilium generale, non esse plane hæreticam, sed erroneam, et hæresi proximam: Rectius dicemus, nos non audere eam sen-

(1) Act. V, 29.

tentiam, plane hæreticam judicare, quoniam qui sententiam illam sequuntur, neque ab Ecclesia ipsi damnati, neque libri eorum prohibiti unquam fuerunt. Videri tamen nobis ita manifeste erroneam, ut merito possit Ecclesie iudicio hæretica declarari.

Eodem lib. cap. 5, §. ultimo. Ubi diximus, quod si Papa præciperet vitium, aut prohiberet virtutem, Ecclesia teneretur credere virtutem esse malam, et vitium esse bonum: locuti sumus de actibus dubiis virtutum, aut vitiorum, nam si præciperet manifestum vitium, aut prohiberet manifestam virtutem, dicendum esset cum Petro: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus* (1). Loquimur enim de actibus virtutum necessariis; alioquin enim non ignoramus, posse Pontificem justa de causa jubere, ut tali die non jejunetur, tali loco divina officia non celebrentur, et similia. Neque enim necessarium est, omni die jejunare, aut in omni loco divina officia celebrare: non poterit autem jubere, ut non colatur Deus, ut non diligatur proximus, et alia id genus.

Eodem lib. cap. 8, §. ultimo. Concessimus S. Marcellinum Idolis sacrificasse. Sed non videtur id esse omnino certum. Siquidem S. Augustinus lib. *De unico baptismo*, cap. 16, scribit, id obiectum fuisse a Donatistis, sed minime probatum, et addit S. Marcellinum innocentem fuisse, quod etiam confirmari videtur ex eo quod Eusebius nec in *Historia*, neque in *Chronico*, neque alii veteres hujus rei meminerunt, imo Theodoretus lib. I. cap. 3. laudat Marcellinum, quod præclarissime in persecutione se gesserit.

Eodem lib. cap. 10, §. *Respondeo ad primum*. Admonemus hoc loco, sententiam Gelasii, quicumque tandem is Gelasius fuerit, in libro *De duabus naturis Christi*, quæ videtur asserere in Sacramento Eucharistie, substantiam panis adesse cum corpore Christi, explicatam esse a nobis lib. II. de Eucharistia cap. 28.

Eodem lib. cap. 14, §. ultimo. Indicavimus uno verbo, narrationem Volaterrani, quod Norwegi ex permissione Innocentii VIII, sine vino sacrificium Eucharistie habuerint, videri falsam; sed postea quo magis de hac cogitavimus, eo magis falsa, aut certe valde suspecta falsitatis ea narratio nobis visa est, tum quia nemo alius eam rem prodidit, nisi

ex ipsis Volaterrani auctoritate, tum quia nullum extat ejus rei vestigium, tum quia non est verum tantam inopiam vini unquam in Norvegia fuisse, ut ad sacrificium deesse potnerit, tum denique quia verba Volaterrani secum ipsa pugnare videntur. Ait enim permissum fuisse Norwegis calicem sine vino sacrificare; quasi calicem vacuum, ut aliquo alio liquore plenum sacrificaverint.

Eodem libro. cap. 16, §. *Tertius locus*. Hoc loco brevissime indicatum est, ex illis verbis Joan. XXI. *Pasce oves meas*, colligi auctoritatem imperandi regio more, quia de hac re satis copiose scriptum fuerat lib. I, de Pontifice cap. 16. Itaque si cui locus hic obscurus videatur, consulat locum superiore citatum.

Eodem libro cap. 21, §. *Respondet Joannes*. Ubi dicitur de S. Joanne Chrysostomo, quod Hom. 83 in Matthæum alloquatur Presbyteros, cum dicit: « Si dux quispiam, si Consul, si ipse denique, qui diademate ornatur, indignè adeat, cohæbe, et coerce. » Rectius dicemus, illis verbis allucutum esse Diaconos, sed parum refert.

Eodem lib. cap. 13, §. 2. Ubi dixi potestatem ordinis, et potestatem jurisdictionis internæ pertinere ad materiam de clavibus Ecclesie, et eam materiam eo loco non disputari: non volui significare, potestatem jurisdictionis exterioris, de qua eo loco disputabatur, non pertinere ad claves Ecclesie. Sed hoc solum dicere volui, potestatem ordinis, et jurisdictionis interioris, tractandam esse in libris de Sacramentis, ubi tractatur integra materia de clavibus: nam in libris de summo Pontifice non susceperam disputationem de clavibus in genere, sed solum de potestate jurisdictionis externæ, seu forens summi Pontificis.

Libro V. cap. 2, §. ultimo. Quod attinet ad Bullam Alexandri VI de divisione orbis nuper inventi, et debellatione Indorum Occidentalium, cum ea scriberem, Bullam non videram, et ideo secutus sum doctrinam Cardinalis Cajetani in II, 2 q. 66. art. 8. Francisci Victorie in 2, relectione de jure belli, et Dominici a Soto in quartum sententiarum d. 5. q. unica, art. 10. ad 5. Argumentum, tum propter eorum rationes, tum quia Cajetanus vixit tempore Alexandri VI et ei supervixit, proinde facile scire potuit, quid

sibi voluerit Alexander Pontifex, cum Orbem recens inventum divisit.

Eodem libro cap. 3, §. *Item si Papa*. Quod dixi, id esse Episcopum in Ecclesia particulari, quod est Papa in universali, ita accipiendum est, ut sicut Papa est verus Pastor et Princeps Ecclesie universæ: ita sit Episcopus verus Pastor et Princeps Ecclesie particularis, non Vicarius, aut administrator ad certum aliquod tempus, alioquin enim non ignoramus, neque negamus cum majori potestate præesse Papam Ecclesie universæ, quam præsit Episcopus Ecclesie sue.

Eodem lib. cap. 4, §. 1. Distinctio illa de jurisdictione temporali summi Pontificis directe, vel indirecte, non solum habetur apud auctores ibi citatos, sed etiam apud glossam in cap. Novit. de Judiciis §. de feudo, quam etiam sequitur Innocentius IV, ibidem, ubi dicitur: Papam non judicare de feudo directe, secus indirecte ratione peccati. Intelligimus autem per jurisdictionem indirecte, jurisdictionem quam summus Pontifex habet super temporalia in ordine ad spiritualia, quæ spiritualia proprie et per se respicit ejus jurisdictioni, ut declaramus cap. VI.

Lib. V, cap. 4, §. *Ceterum hoc etiam*. De regno Christi scripsi, quæ vera esse credidi, atque etiam nunc credo. Sed quia dum hæc recognoscerem, acriter de hac re inter scriptores disceptabatur, operæ pretium esse duxi paulo clarius, et fusius meam sententiam aperire. Igitur cavendum esse censeo piis hominibus, ne sic regnum Christi temporale defendant, ut veram ejus paupertatem negare videantur, atque eo modo ingrati sint magnæ illi gratiæ, de qua dicit Apostolus ad Corinthios: *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis*. (1). Et contra ne sic paupertatem Christi propugnent, ut verum ejus Regnum oppugnent, et eo modo desinant in ipsis Regno partem habere. In Scripturis sanctis, Christi Regnum evidentissime prædicatur, neque unum tantum, sed tria. Primum et proprium Christi Regnum est illud de quo loquitur Angelus ad Virginem: *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et Regni ejus non erit finis* (2), quæ verba videntur de-

(1) II. Cor. VIII, 9. — (2) Luc. I, 32.

sumpta ex capite Isaïæ, ubi dicitur: *Super solum David et super Regnum ejus sedebit, ut corroboret illud, et confirmet in justitia, et iudicio amodo, et usque in sempiternum* (1), quibus locis conformia sunt multa alia, ut illud Psalmi: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans proceptum ejus*. Et Psalmi alterius: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, etc.* (2). Et Danielis II. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus regnum, etc.* Et Zach. IX. *Ecce Rex tuus venit tibi, etc.* Et Mich. V. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*. Et Hierem. XXIII. *Suscitabo David germen justum, et regnabit Rex et sapiens erit, etc.* Et Ezech. XXXVIII. *Et faciam eos in gentem unam, in terra, in montibus Israel, et Rex unus erit omnibus imperans etc.* (3). Hoc autem Regnum proprium Messæ non temporale, sed spirituale futurum fuisse, præter Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, et Bernardum, qui paulo post citabantur, docent duo interpretes Scripturarum accuratissimi. Cornelius Jansenius, et Adamus Sasbout. Ille, Jansenius videlicet, sic scribit in cap. 3, Concordiæ, explicans verba Evangelii, Lucæ I: « Dicitur, inquit, Regnum Messæ sedes, et Regnum David, non quod temporale esset, sensibile, et terrenum, sed quod in Regno Davidis adumbratum fuit. Et Davidi id proprio semine promissum sub typo Regni ejus. Ita et domus Jacob hic non potest accipi pro familia Jacob carnali, sed pro spirituali, quæ est omnium fidelium congregatio. »

Adamus Sasbout in commentario Isaïæ, declarans illud: *Super solum David, et super Regnum ejus sedebit* (4): « Ad hæc verba, inquit, alludit Angelus Gabriel, apud Lucam ubi ait: *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus*. Et quemadmodum locum illum apud Lucam male intelligunt illi qui millenarii dicuntur, putantes Christum in terra mille annos regnaturum: sic Judæi presentem locum interpretantur de Regno corporeo, quale est Regnum Principum hujus mundi; cum apertissime Scripturæ sint in testamento veteri, testantes Regnum Christi hujusmodi non futurum. Dicitur enim apud Zachariam IX, et ipse erit pauper, etc. Dicitur autem

Christus super solum David sedere, et Regnum ejus non habiturum finem, quoniam in Ecclesia, et populo fideli, cujus typus erat Regnum David, ipse dominium tenet, et imperium a modo usque in sempiternum, » hæc ille, et confirmantur hæc omnia ex Evangelio, et Epistolis B. Pauli. Nam Princeps cum quo pugnavit Christus, ut Regnum sibi acquireret, non fuit Herodes, aut Cæsar, sed Diabolus, et sicut Diabolus Princeps erat hujus mundi, quia invisibiliter regnabat in cordibus hominum per infidelitatem, et inobedientiam: sic Diabolo per Christum superato, et triumphato, cæpit Christus regnare in cordibus fidelium per fidem, et obedientiam mandatorum-Dei. *Si in digito Dei ejicio demonia, profecto pervenit in vos Regnum Dei. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet: si autem fortior eo superceniens vicerit eum, inversa ejus arma auferet in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet* (5). Et clarius Joannes: *Nunc judicium est mundi, nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras, et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (6). Et Coloss. I, *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in Regnum, filii dilectionis suæ*. Et cap. II. *Et expolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso* (7). De qua re S. Augustinus: « Attende gloriam crucis ipsius; Jam in fronte Regum Crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem, domuit orbem, non ferro, sed ligno (8). » Et S. Leo: « O admirabilis potentia Crucis, o ineffabilis gloria passionis, in qua, et tribunal Domini, et judicium mundi et potestas est crucifixi (9). » Nec sine magno mysterio in titulo Crucis, scriptum fuit litteris Hebraicis, Græcis, et Latinis *Rex Judeorum*, ut totus mundus agnosceret Christum per passionem suam de Diabolo triumphasse, et Regnum sibi peperisse. Quamvis autem hoc Regnum proprie spirituale sit, et per fidem ad illud pertinere incipiamus, tamen negari non potest, quin etiam ad temporalia se extendat: quatenus ad spiritualia ordinauntur, ut omnes Theologi confitentur. Neque hoc regnum veræ paupertatis Christi repugnat, quia aliud est habere potestatem disponendi de temporalibus

(1) Isaïæ Cap. IX, 7. — (2) Psalm. II, 6. et CXXXI, 11. — (3) Dan. II, 44.; Zach. IX, 9.; Mich. V, 2.; Jerem. XXXIII, 5.; Ezech. XXXVII, 22. — (4) Cap. IX, 7. — (5) Luc. XI, 20. — (6) Joan. XII, 31. — (7) Coloss. I, 13. II, 15. — (8) Tract. in Psalm. LIV. — (9) Serm. VIII, de passione Christi.

in ordine ad spiritualia, aliud habere proprietatem, et dominium particulare rerum temporalium. Prælati enim Ecclesiastici, ac præsertim ii, qui sunt Præpositi ordinum Religiosorum, habent potestatem disponendi de rebus temporalibus suæ Ecclesiæ, vel Religionis, et tamen non habent dominium, vel proprietatem rerum temporalium. Sic igitur Christus, ut Rex Ecclesiæ, disponere potuit de temporalibus rebus Ecclesiæ, imo etiam de rebus totius mundi, et tamen vere dicere potuit: *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet* (1), et verbo et exemplo docuit statum Religiosæ vitæ, quæ abdicat omne dominium in particulari, ut definiunt summi Pontifices, Nicolaus IV, Clemens V, et Joannes XXII; qui Joannes definivit quidem in Extravaganti: *Quia quorundam*, Christum habuisse dominium in communi cum Apostolis earum pecuniarum, quas ex elemosynis collectas in locuis Judas ferebat: sed admisit Christum vere fuisse pauperem, ut sunt omnes veri Religiosi, sive habeant dominium in communi, sive non habeant.

Alterum Christi Regnum est Regnum divinum universale, quod Christo convenit, ratione unionis hypostaticæ, sed recte Cajetanus admonet in Commentario primi capitis Epistolæ ad Hebræos, hoc dominium convenire Christo homini, ratione divinæ filiationis, non ratione humanæ, ille enim homo Christus, quia vere est filius Dei naturalis, est hæres universorum sine ulla exceptione, quamvis autem Christus non habeat ex humana filiatione dominium universale, habet tamen Christi humanitas ex donatione Patris, ratione hypostaticæ unionis, dominium quoddam universale, simile dominio divino, quod non tollit dominia particularia, sed ea conservat, et in hoc dominio fundatur jus illud, quo potuisset Christus, si voluisset, regna omnia sibi assumere, ut etiam in libro nostro diximus. De hoc Regno intelligimus illa verba Matth. XI. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Et Joann. XIII. *Omnia dedit ei Pater in manus*. Et Joann. XVIII. *Omnia tua mea sunt, et sicut dedisti et potestatem omnibus carnis*. Et Hebr. I. *Quem constituit heredem universorum*. Et Apoc. XIX. *Habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex Regum, et Dominus Dominantium* (2). Hoc Regnum accepit Christus ab initio conceptionis: et

est illi commune cum Patre, sed non potest communicari cum ulla pura creatura, neque repugnat veræ paupertati, quam Christus elegit, pro tempore mortalitatis suæ, nam ipse idem Christus homo ratione dominii universalis ditissimus erat, ratione particularis, pauperimus. Ipse idem vere in propria venit, ut dicitur Joan. I. quia Domini elegit terra, et plenitudo ejus, et simul vere non erat ei locus in diversorio, ut dicitur Luc. II. et in alieno natus est, ut dicit Gregorius homil. 8. in Evangelia, neque enim privare voluit, ullum hominem dominio rerum suarum. Neque Regnum hoc temporale dici potest, quale est Regnum hujus mundi, nam neque opibus, neque militibus, neque armis, neque arcibus, neque aliis ejusmodi præsidis indiget, sine quibus Regna temporalia conservari non possunt: neque tollit hoc Regnum Regna hominum, qui juste illis possident, sed illis præest potestate quadam altiore, et sublimiore, quam sit potestas ullius Regis, aut Monarchæ temporalis. Et potuisset quidem Christus ex hac potestate sua eminentissima privare Regnis temporalibus quoscuque Reges terre, neque fecisset illis injuriam, si hoc fecisset: sed maluit Regna temporalia iis dimittere, qui ea possidebant, ut humilitatis, et paupertatis, patientiæ, et obedientiæ exemplum daret.

Tertium Regnum, est Regnum gloriæ, quod in perfecta corporis, et animæ beatitudine, et felicitate consistit, ex qua sequitur exemptio, et libertas ab omni subjectione creaturarum, et potestas, seu potestatis executio super omnes creaturas. Hoc Regnum adeptus est Christus in ipsa resurrectione, et ascensione, quamvis ei destinatum fuisset ab initio conceptionis. Sicut enim David, qui figura Christi fuit, in pueritia Rex inunctus est a Samuele, et tamen Regni possessionem, non nisi post multos labores, et dolores obtinuit: sic etiam Christus ab initio conceptionis Dominus gloriæ esse cepit: sed tamen oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam. Luc. ult. De hoc Regno dicitur Luc. XIX. *Homo quidam nobilitas abiit in regionem longinquam accipere sibi Regnum, et reverti* (3). Ubi aperte loquitur de Passione sua, per quam abiturus erat accipere sibi Regnum gloriæ cælestis, et reversurus tandem in die Judicii. De hoc etiam

(1) Luc. IV, 58. — (2) Math. XI, 27.; Joan. XIII, 3. et XVIII, 10.; Hebr. I, 2.; Apoc. XIX, 16. — (3) Luc. XIX, 12.

dicitur Marci VIII. *Sunt quidam de hac stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Regnum Dei in virtute veniens* (1), et paulo post describitur transfiguratio Domini per quam viderunt tres Apostoli gloriam claritatis Christi, quam Regnum Dei paulo ante nominaverat. De hoc quoque Regno intelligitur illud Lucae XXII. *Non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat*. Et Luc. XXIII. *Memento mei dum veneris in Regnum tuam* (2), de hoc Regno intelligimus illud Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* (3). Nam tunc demum datum est Christo homini, ut non amplius subjectus esset ulli creaturae, non solum de jure, quomodo nunquam fuit, sed neque de facto, id est, neque hominibus, neque fami, neque sibi, neque laboribus, aut doloribus, aut ipsi mortis: sed contra omnibus omnino dominaretur: *In hoc*, inquit Apostolus Rom. XIV. *Christus mortuus est, et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominaretur* (4).

De hoc etiam dicitur Danielis VII. *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus caeli, quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum, et dedit ei potestatem, et honorem, et Regnum, et omnes populi, tribus, et linguae ei servient, potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur, et Regnum ejus quod non corrumpetur* (5). Et B. Petrus cap. III. prioris Epistolae dicit de Christo: *Profectus in caelum, subjectis sibi Angelis, potestatibus et virtutibus*. Et in epist. II, c. 4. *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternam Regnum Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi*. Et B. Paulus Philipp. II. *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernarum*. Et Beatus Joannes cap. I. Apocalyp. *Primo genitus mortuorum, et princeps Regum terrae*. Hoc Regnum nunc est invisibile, et sola fide percipitur, sed in die Judicii visibile fiet, ut ipse Dominus ait Matth. XXVI. *A modo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli*. De quo etiam Apostolus dicit II. Timoth. IV. *Testificor coram Deo, et Christo Jesu, qui iudicaturus est vivos, et mortuos, et per adventum ipsius, et Regnum ejus*. Hoc Regnum commi-

nabitur a Christo suis electis, ut dicit Apostolus Philipp. III. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*. Et Rom. VIII. *Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat*. Et Colossens III. *Cum apparuerit Christus vita vestra, tunc, et vos apparebitis cum ipso in gloria*. Et B. Joannes Apocal. III. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*. Et clarius Matth. XIX. *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis, et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* (6). De hoc Regno non oportet quaerere an repugnet paupertati Christi, quia paupertas illa non erat duratura, nisi per tempore mortalitatis. Neque dici potest hoc Regnum temporale, cum sit alterius rationis, et longe eminentius omni Regno temporali, et tandem in die Judicii, ut praedixit Dan. cap. II. consumere, et destrueri debet omnia Regna temporalia, et ipsum in aeternum permanere. Sunt igitur tria Christi Regna, unum proprium ipsius, alterum commune cum Patre, tertium commune cum electis. Illud primum incipit a Predicatione, secundum a Conceptione, tertium a Resurrectione.

Praeter ista Regna, quartum Regnum, quod proprie temporale dici debet, qualia sunt Regna principum terrenorum, nos quidem in Scripturis, et in Patribus non invenimus; imo existimamus repugnare Christi paupertati, et sapere errorem Judaeorum, et Haereticorum, quo nomine refutatur ab Adriano Fino in *Flagello Judaeorum*, et Adamo Sabout in cap. IX. Isaiae, Augustino de *Ancona De potestate Ecclesiae*. quest. I. art. 9. et fusissime a Thoma Valdensi lib. II. doctrinalis fidei antiquae. At, inquit, Christus figuratus fuit per Mosem, et per Melchisedech, ut Apostolus docet ad Hebr. III et VII. proinde non debuit habere minorem potestatem, quam habuerint Moses, et Melchisedech: sed illi fuerunt simul Pontifices, et Reges temporales: igitur Christus etiam debuit simul esse Pontifex summus, et Rex maximus temporalis. Respondeo, Christum hoc ipsum, quod figuratus fuit per Mosem, et Melchisedech, non debuisset esse Regem temporalem, ut illi fuerunt, sed Regem altioris or-

(1) Marc. VIII. 39. — (2) Luc. XXII. 18. et XXIII. 42. — (3) Matth. XXVIII. 18. — (4) Rom. XIV. 9. — (5) Dan. VII. 12. — (6) I. Petr. III. 22.; II. Petr. I. 2.; Philipp. II. 9.; Apoc. I. 5.; Matth. XXVI. 64.; II. Tim. IV. 1.; Philipp. III. 20.; Rom. VIII. 19.; Coloss. III. 4.; Apoc. III. 21.; Matth. XIX. 28.

dinis, nam figura semper est inferior, et imperfectior figurato, et hoc manifestum est ex figura sacerdotii. Moses enim sacrificabat oves et boves: Christus autem sacrificavit se ipsum Agnum rationale, et divinum: Melchisedech obtulit panem et vinum, Christus obtulit corpus et sanguinem suum. Sicut igitur sacerdotium Christi fuit longe sublimius sacerdotio Mosis, et Melchisedech: sic etiam Regnum Christi debuit esse multo excellentius, id est, non temporale, ut illorum, sed aeternum, spirituale, et caeleste; nam etiam Regnum Davidis fuit figura Regni Christi, et tamen Patres aperte dicunt Christum non regnasse in Hierusalem terrena, ubi regnavit David, sed in Hierusalem spirituali, quae est Ecclesia. Quod autem Christum non habuerit Regnum temporale, non fuit in causa, quia non potuerit illud habere: sed, quia indignum erat Christo, qui est Rex Angelorum, ut fieret quasi unus de Regibus terrae, et sederet ad judicandas lites terrenas, ut sederunt Moses, Melchisedech, et David. Quod si ille, qui Regnum temporale Christo tribuunt, per Regnum temporale, nihil aliud intelligant, nisi dominium universale, quod non tollit particularia, et eminentem potestatem disponendi de rebus temporalibus, in sententia convenimus, et solum de verbis disceptamus. Et ego quidem libros veterum Patrum ea qua potui diligentia, evolvi, et legi non raro Patres negantes Christi Regnum temporale, aut terrenum; affirmantes autem id ipsum non legi, placuit autem aliquot testimonia hic adscribere.

Hegesippus, apud Eusebium, in *Eccles. hist.* ex versione Ruffini III, scribit a Domitiano interrogatos affines Christi, quale esset ipsius Christi Regnum, ita respondisse: « Responderunt, inquit, quod non hujus mundi Regnum, neque hujus terrae ei designetur imperium: sed quia caeleste ei Regnum per Angelorum ministeria in consummatione saeculi praepararetur, quando scilicet adventans in gloria, de vivis, et mortuis judicabit. » (1)

S. Irenaeus describens visionem Heliae, et accommodans ad Regnum Christi, sic ait: « Ostendebatur autem, et Regni ejus mitis, et pacifica requietio, post enim Spiritum, qui conterit montes, et post terrae motum, et ig-

nem, tranquilla, et pacifica Regni ejus, adveniunt tempora, in quibus cum omni tranquillitate Spiritus Dei vivificat, et auget hominem » (2), haec ille, qui satis aperte describit Regnum spirituale in quo Christus per spiritum gratiae regnat in cordibus.

Tertullianus in lib. adversus Judaeos, cap. de Nativitate Christi, exponit verba Isaiae, qui per Cyrum intelligit Christum ubique regnaturum: « In omnibus locis, inquit, Christi nomen regnat, utpote ante quem omnium civitatum portae sunt apertae, et cui nullae sunt clausae, et ista spiritualiter sunt intelligenda, quo praecordia singulorum variis modis a Diabolo obsessa, fide Christi sint reserata: attamen perspicue sunt adimpleta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis Christi habitat, quis enim omnibus regnare potuisset, nisi filius Dei, qui omnibus in aeternum regnatorus nuntiabatur? » Similia vide capite sequenti, quod et de Regno Christi aeterno.

S. Cyprianus in II libro adversus Judaeos, secutus Tertullianum, multa scribit de Regno Christi, sed potissimum loquitur de Regno glorioso, quod accepit post Resurrectionem, sic enim loquitur cap. XXVI. « Quod cum resurrexisset, acciperet a Patre omnem potestatem, ac potestas ejus aeterna sit apud Danielelem. Videbam in visu nocte, et ecce in nubibus caeli quasi filius hominis veniens, venit usque ad veterem dierum, et stetit in conspectu ejus, et quia assistebant ei obtulerunt eum, et data est ei potestas regia, et omnes Reges terrae per genus, et omnis claritas serviens ei, et potestas ejus aeterna, quae non auferetur, et Regnum ejus non corrumpetur » (3). Et cap. XXVIII, iterum probat Christum in aeternum regnaturum, multis testimoniis, et nusquam meminit Regni temporalis, seu contra potius allegat verba Domini Joannis: *Regnum meum non est de hoc mundo* (4).

Eusebius Caesariensis VII de demonstratione Evangelica, de Regno Christi sic loquitur: « Ubi vero Dominus et Salvator noster Jesus Christus, qui de semine David ortus est, in totum orbem Rex denuntiatus est, tanquam ea quae de terra, et ruina instaurata sit ipsa illa sedes David, per divinum Salvatoris nostri Regnum, erecta est, et per manebit in aeternum » (5).

(1) Lib. III. Cap. 20. — (2) Lib. IV. Cap. 37. — (3) Adv. Jud. Cap. 26. et 28. — (4) Joann. XXVIII. 38.

ternum, veluti sol in conspectu Dei, illius lucis radiis, quam doctrina illius præsefert, totum orbem terrarum illustrans (1), hæc ille, qui apertissime demonstrat Christi Regnum esse spirituale, et cæleste, dicit enim sedem David fuisse eversam, et regnum destructum: sed per Christum instauratam esse sedem illam David, et Regnum ejus renovatum, certum autem est non fuisse instauratum Regnum temporale Davidis, sed illud quod eo figurabatur. Idem patet ex eo, quod Eusebius hoc Christi novum Regnum divinum appellat: item quia dicit per doctrinam Christi, quæ in toto orbe fulget, hoc Regnum ubique dilatari.

Hilarius exponens illa verba: «*Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem sanctum ejus*, sic ait: «*Non super illum utique terræ civitatis montem, comploratæ scilicet, et homicidæ et parricidæ Hierusalem, sed Hierusalem ejus, quæ in cælis est, quæ est mater nostra, quæ civitas magni Regis est*» (2).

Cyillus Hierosolymitanus Regnum Christi gloriosum docet, neque de temporali unquam meminit: «*Regnat, inquit, Christus in sæcula, qui judicat vivos, et mortuos, qui pro vivis et mortuis mortuus est, ut Paulus dicit*» (3).

S. Ambrosius in Lucam tractat questionem, quomodo apud Lucam legatur Christus habiturus sedem David patris ejus, cum apud Hieremiam dicatur, nullum de semine David post Jechoniam sessurum in illa sede: et concludit Prophetam loqui de Regno temporali, Evangelistam de regno spirituali: «*Ipsum, inquit, Regem secundum honorem sæculi non accepimus Christum.*» Et infra: «*Quod regnavit Christus, non contra prophetiam est, non enim sæculi honorem regnavit, nec in Jechoniæ sedibus sedit, et ibidem regnare se dixit, qui non regnavit in terris*» (4).

S. Epiphanius, hæresi XXIX, quæ est Nazæorum, quærit quomodo impletum sit, quod dicitur in Psal. CXXXI. *De fractu ventris tui ponam super sedem tuam.* «*Qua ratione, inquit, super sedem David non sedit? Venerunt, inquit, Evangelium, ut ungerent eum Regem: quo cognito, recessit, etc. qua ratione carnaliter impletum non est in Salvatore, ut sedeat super thronum David,* » et paulo

post: «*Thronus igitur David, et regia sedes ejus, est sacerdotium in Sancta Ecclesia, quam dignitatem regiam, simulque Pontificiam simul conjunctim largitus est Dominus Sanctæ Ecclesie, translato in ipsam throno David non deficientem in æternum*» (5), hæc ille, qui per Regiam dignitatem, cum sacerdotio conjunctam, non intelligit Regnum aliquod temporale, sed potestatem Ecclesiasticam, quæ non consistit solum in officio sacerdotali sacrificandi, et orandi, sed etiam in vera jurisdictione gubernandi, et regendi fideles secundum leges Evangelii. Ideo enim Pontifices nostri dicuntur etiam Pastores, et Doctores, et ut sæpe refellimus, Gregorius Nazianzenus in oratione ad Populum timore percusum, et Præsidentem irascentem, dicit: «*Imperamus et nos, addo etiam imperio altiore et sublimiore, etc.*»

Nam Epiphanius sequitur Eusebium, et alios, qui docuerunt, Regnum David fuisse typam Regni Christi spiritualis, quo regnat in Ecclesia, cujus Regni participes sunt omnes Episcopi, sed præcipue summus Pontifex, qui in universam Ecclesiam potestatem habet. Satis enim clare dixit antea idem Epiphanius, Christum non sessisse carnaliter in throno David.

S. Hieronymus in Hieremiam, exponens verba capitis XXII: «*Non sedebit, inquit, super thronum David vir, et homo, sed sedebit Deus, Regnumque ejus non erit terrenum, et breve, ut fuit David, sed perpetuum, et cæleste, dicente Scriptura, regnabit super domum Jacob in æternum, et Regni ejus non erit finis*» (6). Ubi S. Hieronymus solvit questionem de contradictione; quæ videtur esse, inter Hieremiam, et Lucam, eo modo quo Ambrosius, et alii Patres, videlicet, quod Propheta, qui dicit neminem post Jechoniam ex stirpe David sessurum in throno David, loquatur de Regno terreno, Lucas autem, qui dicit, Christum sessurum in throno David, loquatur de Regno spirituali.

S. Joannes Chrysostomus in Joann. explicans verba illa: *Regnum meum non est de hoc mundo*, dicit: «*Christi Regnum esse divinum et cæleste, non autem tale, quale putaverat Pilatus. At non est, inquit, mundi hujus Christi Regnum? quidni? quomodo dicit non esse? Non quòd hoc etiam non possideat, sed quòd in cælo habeat Imperium*

non humanum, sed longe majus, atque præstantius.» Et infra: «*Regnum suum dicit, non esse hinc, non quod Mundum providentia sua, et protectione privet, sed ut dixi, ut neque humanum, neque caducum esse demonstrat.*» (1).

S. Augustinus super verba: *Regnum meum non est de hoc mundo*, «*Audite, inquit, Judæi, et Gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia regna terrena, non impedit dominationem vestram in hoc mundo. Nolite timere timore vanissimo; et paulo post: Venite ad Regnum quod non est de hoc mundo, venite credendo et nolite sævire metuendo. Dicit quidem Propheta de Deo Patre: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Sed Sion ille, et Mons ille non est de hoc mundo, quod est enim Regnum, nisi credentes in eum? » Et lib. XVII. de Civit. Dei, exponens illud: *Diruperunt Dominus Regnam Israël de manu tua*, sic ait: «*Populi ergo Israël personam figurate gerebat homo iste, qui populus Regnum fuerat amissurus, Christo Jesu Domino nostro, per novum testamentum, non carnaliter regnatura.*» Idem tract. L. in Joannem, «*Rex Israël Christus est, quòd mentes regat, quod in æternum consulat, quod in Regnum celorum credentes, sperantes, amantesque perducatur*» (1).*

S. Cyrillus Alexandrinus in Joann. explicans illud: *Regnum meum non est de hoc mundo*: «*Liberavit, inquit, a formidine Pilatum, qui dignitatem Caesaris in Judea servare debebat.*» Et infra: «*Christus Pilato respondens, Regem se esse non negat, mentiri enim non poterat, sed Regno Caesaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus non est, sed cæli, terræ, cæterarumque omnium rerum*» (3). Vide etiam cap. II. et cap. XII. ubi rursus docet, Christi Regnum non esse mundanum, quale suspicabatur Pilatus, sed divinum et cæleste.

S. Gregorius Papa, in primum Regnum, explicans illa verba: *Sublimabit cornu Christi qui, per cornu, intelligit Regnum Christi, et Regnum Christi Ecclesiam credentium esse dicit; «*Per Regnum Christi, inquit, Sancta Ecclesia designatur, quod profecto cornu sublimabitur, quia ima nostra**

ad Angelorum æqualitatem perducentur, » et infra: «*Sublimabit ergo cornu Christi, quia Sancta Ecclesia in æterna contemplatione sui Redemptoris extollitur*» (4).

S. Isidorus: «*Nomen, inquit, Melchisedech Rex pacis, vel Rex justitiæ interpretatur, quod bene refertur ad Christum, ipse enim est Rex pacis, quia per ipsum reconciliamur Deo, ipse est Rex justitiæ, quia ipse venit, ut discerneret justos ab impiis*» (5).

S. Joannes Damascenus oratione secunda de Nativitate Virginis, sic de Rege Christo loquitur: «*Ut autem Rex pacis, ac Princeps, et Dux in Israël, non partem in oculorum sensum cadentis ratione, in Davidis Patris sui solio sedere ostenditur, verum spiritualiter in domo Jacob in æternum regnasse, nec Regni finem unquam accepisse.*»

Beda in Psalmum quintum: «*Christus, inquit, Deus noster Rex secundum humanitatem; secundum quam nos doctrina et vitæ exemplo rexit.*» Idem in caput primum Lucae, super illud: *Regnabit in Davo Jacob in æternum.* «*Non dixit, inquit, in acquisitione gloriæ, gazarumque terrenarum, non in acquisitione gentium plurimarum, urbiumque debellatione superbarum: sed in judicio, et justitia; per hæc enim Regnum Christi, et in singulis quibusque fidelibus, et in universa pariter multiplicatur, et confirmatur Ecclesia.*»

S. Bernardus super Missus est: «*Quero, inquit, quomodo dederit ei Dominus sedem David; cum ipse in Hierusalem non regnaverit, quin imo turbis volentibus eum constituere Regem, non acquieverit: sed et ante faciem Pilati protestatus sit: Regnum meum non est de hoc mundo; denique quid magnum promittitur ei, qui sedet super Cherubim, quem Propheta vidit sedentem super solium excelsum, et elevatum, sedere in throno David Patris sui? Sed novimus quamdam aliam Hierusalem multo ista nobilior, multo ditiorum. Hanc igitur puto hic significatam, » et infra: *Dabit ergo ei Dominus sedem David Patris ejus*, non typicam, sed veram, non temporalem, sed æternam, non terrenam, sed cælestem (6).*

S. Thomas in Commentario ad cap. XVIII. Joann. «*Sciendum est, inquit, quod Domi-*

(1) Dom. Evang. Lib. VII. — (2) In Psal. II. — (3) Catech. XIII. — (4) Lib. III. non longe a fine. — (5) Hæres. XXIX. — (6) Lib. IV.

(1) Hom. 82. — (2) Tract. 115 in Joann.; Civit. Dei, Lib. XVII. Cap. 7. — (3) Lib. XII. Cap. 10. — (4) Lib. I. prope finem. — (5) In Cap. XII. Genesis. — (6) Hom. 4.

nus ad questionem respondens de Regno, ita responsonem temperavit, ut nec manifeste confiteretur se esse Regem, cum Rex non esset, eo modo, quo intelligebat Pilatus, nec negaret, cum spiritualiter esset Rex Regum, dicit ergo, ut dicis, quia Rex sum ego, scilicet carnaliter, secundum quem modum Rex non sum : sed alio modo, Rex sum ego.»

S. Bonaventura, in Evangelium Joannis, declarans illud : *Regnum meum non est de hoc mundo*, sic loquitur : « Ait ergo Regnum meum, ad differentiam aliorum Regorum. Est enim Regnum Satanicum quo regnat Diabolus. Item est Regnum mundanum, quod est infimum ordine, quia de hoc mundo, et est Regnum Divinum, quod est sublime majestate, quia Regnum cœlorum. » Hæc ille, qui Regnum Christi dicit non esse mundanum, sed divinum. Et paulo infra : « Credentes, inquit, sunt Regnum ejus, qui non sunt de hoc mundo. » Vide eundem in Postilla super caput XII et XVIII Joannis (1).

Eodem quinto libro, cap. viii. §. *Probatum hujus argumenti propositio*. Non approbo quod dixi, non posse Principes infideles privari per Ecclesiam dominio, quod habent, super fideles, nisi avertere conentur fideles sibi subjectos a fide. Quamvis enim Durandus, quem ego secutus sum, in H. sent. dist. 44, q. 3. probabiliter disputet contra Sanctum Thomam docentem in 2. 2. q. X. art. 10. posse Ecclesiam privare infideles dominio, quod habent super fideles : tamen auctoritas S. Thomæ merito prævalere debet. Itaque si tales Principes non conantur fideles a fide avertere, possent quidem per Ecclesiam privari dominio : tamen Ecclesia non semper id facit, vel quia vires non habet, vel quia non judicat expedire. At si isti iidem Principes conentur avertere populum a fide, possunt et debent privari suo dominio.

Eodem lib. cap. ix. §. *Item vero quod jure*. Probari ex Adone, et Leone Ostiensi principatum temporalem Apostolicæ sedis : sed invenipostea auctorem utroque antiquiorem. Paulus Diaconus, de gestis Longobardorum sic ait : « Aripertus Rex Longobardorum donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quæ ad jus pertinerant Apost. sedis ; sed a Longobardis multo tempore fuerant ablata ; restituit, et hanc donationem aureis litteris exaratam, Romam direxit (2). » Eiusdem rei

meminit Beda in lib. de sex ætatibus. Videmus autem hoc loco, Aripertum Regem non fuisse primum, qui donavit Alpes Cottias, Apostolicæ sedi, sed fuisse primum ex Longobardis, qui eas restituit, cum anlea ad jus ejusdem sedis pertinuisent, quod est diligenter notandum.

Eodem lib. cap. ultimo. §. *Dico secundo*. Ubi dixi, Reges ignorantem Deum, id est infideles, Tyrannos potius esse quam Reges ; non volui significare omnes Reges infideles esse Tyrannos, quoad jus dominandi, ac per hoc illegitimos Principes, sed esse Tyrannos quoad modum dominandi, sive quoad usum potestatis : neque de omnibus omnino intellexi, sed de plerisque. Nam et ipse Dominus cum ait : *Reges gentium dominantur eorum*, de plerisque loquitur, non de omnibus ; certe Augustus, et Titus, et Antonius æquissimi Principes fuerunt.

RECOGNITIO LIBRORUM

Quatuor de Conciliis, et Ecclesia.

Lib. primo. cap. v. §. *Est vero animadvertendum*, et cap. XIII, probavi ex epistola Concilii Constantinopolitani ad Damasum, quæ habetur apud Theodoretum lib. V. hist. cap. IX, secundam synodum generalem fuisse congregatam jussu Damasi Papæ, et unam, et eandem haberi debere cum synodo Romana, eodem tempore celebrata. Sed postea animadverti eam Epistolam non esse secundæ synodi generalis, sed Episcoporum, qui in ea synodo interfuerant, et sequenti anno iterum Constantinopoli conveniant, quamvis autem ex ea Epistola non probetur secundam synodum indictam fuisse jussu Damasi : id tamen satis probatur ex Concilio sexto, Act. XVIII. ut ibidem annotavimus ; quod autem secunda synodus, et Synodus Romana sub Damaso in eandem sententiam conveniant, et pro una et eadem haberi possint, in materia fidei, ex epistola illa satis probatur, ut etiam ex Epistola Damasi quæ habetur apud Theodoretum lib. V. cap. X.

Cap. XIII. §. *Quarta ratio est*. Quod in eo paragrapho dicimus, Pontificem olim subiectum fuisse Imperatoribus, ut Dominis

suis temporalibus, intelligimus de facto, non de jure, cum enim potestas spiritualis superior temporalis sit, nulla ratio patitur, ut Princeps supremus spiritualis jure subjiciatur Principi temporali, quamvis supremo, sed auctoritas summi Pontificis paulatim magis ac magis declarata est.

Libro eodem, cap. XIX. §. *Quartum Concilium*. Dixi hoc loco, iudices sæculi, qui in Concilio quarto interfuerunt, non fuisse sententiam, neque aliquid sibi usurpasse in negotio Ecclesiastico, quod verissimum est. Quamvis enim in fine primæ actionis videantur iudices seculares sententiam tulisse contra Dioscorum, et alios Episcopos : tamen non fuit illa proprie sententia judicialis, sed exposuerunt iudices illi, quid sibi videretur de causa, quæ tractabatur, et iudicium integrum Episcopis reliquerunt. Siquidem in tertia actione dicunt episcopi : iudices dixisse sententiam contra Dioscorum, si ita sanctissimis Episcopis videretur, quibus hæc inferre a Domino Deo creditum est. Itaque synodus in illa tertia actione, tertio citari jubet Dioscorum, et non comparentem, legati Papæ Romani, ut veri Præsides condemaaverunt, et eorum sententiam tota synodus approbavit.

Lib. III. cap. vi. §. *Chrysostomus*. Ad testimonium sanctorum Patrum, quibus probatur excommunicatos non esse in Ecclesia, addi potest testimonium S. Gregorii, qui in expositione primi versiculi Psalmi quinti positionalis sic ait : « De hoc spiritu non vivit hæreticus, non vivit schismaticus, non vivit excommunicatus, quia non sunt de corpore. »

Eodem cap. §. *Probatum ultimo*. Quod dixi ; in quarta ratione, non posse excommunicari nisi contumaces, et incorrigibles, intelligi debet de excommunicatione ab homine, quæ cum trinan monitionem requirat ex jure Canonico, recte dicitur ferri in incorrigibiles, cum in eos feratur, qui his, terve, admoniti, corrigi non potuerunt. At excommunicatio a jure contumaciam quidem requirit sed non incorrigibilitatem.

Cap. VII. §. 1. Ubi dicitur, *ex parabolis Domini*, rectius dicitur, ex parabolis Evangelicis, nam prima illa parabola de area, tritico, et paleis, non est parabola Domini, sed Joannis Baptistæ.

Lib. IV. cap. vi. §. *Sed nec Zwinglius*, Scripsi Calvini sectam dimini cœpisse per Puritanos in Anglia. Sed Puritani ut postea didici, puri Calviniani sunt.

Cap. IX. §. IV. *Peputiani*. Ubi dixi, Calviniani in Anglia mulierem esse summum Pontificem, rectius dixissem, Protestantibus in Anglia mulierem esse caput Ecclesie. Calviniani enim abhorrent a regimine unius capitis, et in cœtu seniorum regimen Ecclesie ponunt.

Et §. XVIII. *Xenaias*. Citavi Paulinum in vita S. Felicis, et Athanasium in questionibus ad Antiochum. Sed per vitam S. Felicis intellexi, Natales S. Felicis carmine scriptos, Quod autem dixi haberi in vita S. Felicis, habetur natali decimo.

Librum questionum ad Antiochum, non existimo esse S. Athanasii Alexandrini Episcopi : quippe qui in ipso libro alicubi citatur, et rejicitur, nisi forte inserta sint multa ab aliquo posteriore auctore. Certe liber auctoris veteris est, et inter opera S. Athanasii excudi solet. Et fortasse libri auctor Athanasius est, sed ab illo priore, et celebriore diversus.

Cap. XIV. §. *Decimoquarto seculo*. Non recte positus est S. Bernardinus sæculo quartodecimo, cum ponendus fuerit sæculo sequenti cum S. Vincentio.

Cap. XVII. §. II. In fine paragraphi desunt hæc : « Maxentius denique Imperator in decipulam conjectus, quam Constantino paraverat, misere perit, et incrementam viciorum Constantino reliquit, ut scribit Eusebius lib. IX. hist. cap. IX. ex versione Ruffini. »

RECOGNITIO LIBRORUM.

De membris Ecclesie, id est, Clericis, Monachis, Laicis.

Libro I. qui est de Clericis, cap. 5. §. 1. ad tertiam propositionem, quæ est hæc : *Electio ministrorum Ecclesie non fit a solo Deo*. Animadvertendum est, non negari a nobis, posse electionem fieri a solo Deo, quomodo scimus electos fuisse Mosem, Petrum, et alios. Sed quod volumus dicere, est, non fieri ordinarie electionem ministrorum a solo Deo, ratione Prædestinationis, id est quia ipse solus novit, quia sint Prædestinati. Est enim propositio adversus Wiclefum, qui solos Prædestinatos admittit ad Ecclesie ministerium.

Eodem cap. §. 3. *ex Patribus*. Non appro-

(1) Collat. 85. — (2) Lib. VI. Cap. 28.